

ipsi pastori natus filius erat. Eius igitur uxor audita 9
 regii infantis expositione summis precibus rogat sibi
 perferri ostendique puerum. Cuius precibus fatigatus 10
 pastor reversus in silvam invenit iuxta infantem ca-
 5 nem feminam parvulo ubera praebentem et a feris
 alitibusque defendentem. Motus et ipse misericordia, 11
 qua motam etiam canem viderat, puerum defert ad
 stabula, eadem cane anxie prosequente. Quem ubi in 12
 manum mulier accepit, veluti ad notam adlusit, tan-
 10 tusque in illo vigor et dulcis quidam blandientis in-
 fantis risus apparuit, ut pastorem ultro rogaret uxor,
 suum partum pro illo exponeret permitteretque sibi
 sive fortunae ipsius sive spei suae puerum nutrire.
 Atque ita permutata sorte parvulorum hic pro filio 13
 15 pastoris educatur, ille pro nepote regis exponitur.
 Nutrici postea nomen Spargos fuit, quia canem Persae 14
 sic vocant.

Puer deinde cum inter pastores esset, Cyri no- V. 1
 men accepit. Mox rex inter ludentes sorte delectus 2
 20 cum per lasciviam contumaces flagellis cecidisset, a
 parentibus puerorum querela regi delata, indignan-
 tibus a servo regio ingenuos homines servilibus ver-
 beribus adfectos. Ille arcesso puero et interrogato, 3
 cum nihil mutato vultu fecisse se ut regem respondisset,
 25 admiratus constantiam in memoriam somnii responsi-
 que revocatur. Atque ita cum et vultus similitudo 4
 et expositionis tempora et pastoris confessio conveni-
 rent, nepotem agnovit. Et quoniam defunctus sibi 5
 somnio videretur agitato inter pastores regno, animum
 30 minacem dumtaxat in illo fregit. Ceterum Harpago, 6